



As omnino pariter & adparum  
dem ac testatur publico eorum  
late emittit eorum, cum de  
pacta & spiculis officinis,  
hactenus respiciendo & clarissimum  
hunc. Quamvis cum plus  
hactenus respiciendo & clarissimum  
hunc. Quamvis cum plus

# RECENSUS

SERENISSIMORUM PRINCIPUM,  
ILLUSTRISSIMORUM DYNASTARUM,  
NOBILISSIMORUM EQVITUM,  
CIVIUMQVE HONESTISSIMORUM,  
PLERORUMQVE OMNIUM,

QVI

## In Illustre Ruthenäum MUNIFICI AC LIBERALES HACTENUS FUERE,

DISSERTATIUNCULA BREVI,  
EX GRATISSIMO IN OMNES  
ANIMO,  
REPETITUS.

QVA

## PLURIMUM VENERANDOS DNN. INSPECTORES,

OMNEIS ITEM NOBILISSIMOS, PL. REVERENDOS, AM-  
PLISSIMOS, SPECTATISSIMOS, CLARISSIMOS VIROS,  
AC STUDIORUM FAUTORES,

M. JO. FRIDERICUS Göber/  
Illustris Ruthenái RECTOR,

*ad audiendum*

*benevolè*

FILII SUI,

JOH. DOROTHEI KOEBERI,  
*Valedictoriam,*

*submissè, officiosè perquam, ac humanissimè*

INVITAT.

GERÆ, Literis Wertherianis.





As omninò pariter & æquum est, recoli identidem ac restaurari publicè eorum memoriam, qui cum de salute omnium communi, tum de Scholis præcipuè, aliisque pietatis & sapientiæ officinis, optimè meriti, & benefaciendo laudem magnumque & clarissimum ubique nomen indepti sunt. Quanto enim plus utilitatis atque commodi in genus humanum conferunt, ac torrentis ad instar diffundunt Lycæa benè constituta; tantò majora non injuriâ eorum censentur merita esse, qui illa instituerunt prudenter, liberali manu dotârunt, &, ut ne quid facillè deesset, quòcunque modò benignitatem exercuerunt. Quorum nomina non trabibus quidem, aut saxis, sed, quod titulis omnibus speciosius putat Plinius in Panegyrico, monumentis æternæ laudis incidi par est. Certè hæc vera Principis, omniumque bonorum, hæc sempiterna gloria, hic perpetuus honos est, in quem nihil flammis, nihil undis, nihil senectuti, nihil temporibus licet. Arcus enim & statuas diruit vetustas, aras etiam & templa demolitur ætas: contra, quæ ex Scholis bonis recens institutis, ac deinde conservatis oritur fama, æterna est, ipsa vetustate florescit ac promeritâ laude prorogatur. Eunt in secula illorum nomina, ipsamque æternitatem propitiam sibi ac propriam reddunt. Ingratissimi ergò (in quo vitio nihil mali non inest, ut rectè censet Cicero) sint, qui expendere sapius ac celebrare nolint, nec gratâ, qua par est, prædicatione eorum merita extollere, qui in ludos literarum munifici ac liberales fuerunt. Nihil ergò, quod censoriâ forsan gravitate damnari queat, me facturum puto, si, quorum egregia & singularis in Illustre Ruthenèum fuit benignitas, ab ipsis illius incunabulis, gratò repetam calamò, &, quoad ejus fieri potest, de prædicare ausim. Ibat seculi hujus, nunc properantis ad finem, annus octavus, quò non tam fundamenta locabantur Gymnasii, quàm jacta jam surgere in substructiones & moles suas videbantur. Ædes Musis dicandas mansuetioribus, nec non Præceptorum futurorum habitacula, celeritate quadam occultâ sic properabat impetus quidam generosior, ut brevi post non consummata, sed tantum commutata putari possent. Efficiebat hæc **ILLUSTRISSIMI** quondam **DOMINI, DOMINI HEINRICI, JUNIORIS JUXTA ET SENIORIS RUTHENI, COGNOMENTO POSTHUMI, DOMINI A PLAVIA, DOMINI IN GRAIZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET LOBENSTEINIO &c. TRIUM IMPERATORUM ROMANO-GERMANICORUM DISTINCTIS VICIBUS CONSILIARII, PATRIS PATRIÆ. O. M.** benignitas, & clementia incomparabilis; qui perinde ut jam ante Studiis in Academia Heidelbergensi cum summâ laude deditus, **NOBILISSIMO EQVITUM AMPLISSIMOQUE CIVITATUM PER SUAS DYNASTIAS ORDINI** indicaverat, se in gloriam Nominis divini, & salutem Patriæ, aliarumque Provinciarum, Illustrem Scholam ex ædificaturum: ita nunc totus in opere erat, nec quidquam magis habebat in votis, quam ut propediem exstructum videret, & accuratò ordine dispositum Gymnasium, delicias videlicet suas, (sic enim appellabat Deo juxta & Musis dilectissimus **HEROS**) post Deum maximas & propè unicas. Sumtu ergo stupendo, & cujus facillè pœnitere hodiè vel locupletissimos videas, excitabat ædes, quæ pulchritudinem palatii non humillimi provocare poterant: circumspiciebat simul sollicitè Viros eruditione & prudentiâ inclytos, quorum alios in consilium adhiberet de constituenda feliciter Provinciali Schola, alios in constitui jam cœptâ ad docendum vocaret publicè, & Gymnasii sui Collegas cooptaret. Impetravit hac finè à Serenissimo Saxonie Electore **HIERONYMUM MEGISERUM**, in Academia Lipsiensi tunc Professore Publicum & Historiographum Saxonicum, Virum deinde variis Literarum monumentis famigeratissimum, qui Scholæ Provincialis auspicia faceret, & legibus omnia saluberrimis prudenter disponderet: quas hodiènum usu receptas, vel potius sapientissimè scriptas, per Dei gratiam, retinemus. Primus è Schola Citizenfi huc legitime accitus fuit Rector **ADAMUS REINHARTUS**; qui cum novis duobus Collegis, die sexto Maji, qui tunc Adscensionis Dominicæ festum excipiebat, habita prius concione sacrâ, solenni ritu & pompa insigni, cui **IPSE PRÆCELSUS FUNDATOR** cum Proceribus gratiosissimè intererat, introductus fuit. Et hinc potissimum hæc Officina Spiritus Sancti honestatisque & sapientiæ sedes initium ducit. Ipse **CLEMENTISSIMUS DYSNASTA** tunc grandem pecuniarum sumam munificentissimâ manu, animoque verè generosissimò operi, quod moliebatur, rarò admodum exemplò, impendit. De suo nempe liberalis, non de alieno, suo veluti genio subtrahens, quod largiretur in publicum, & ex communi, quæ suppetebat, copia colligens, ut omnium utilitati & saluti consuleret. Trajano, cui cognomentum optimi hæsit, non dissimilis, qui existimabat, nullum esse magnò Principe, immortalitatemque meriturò, impendii genus dignius, quàm quod erogaretur in posteros. Unde, ut loquitur Plinius de suo tempore, locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia cohortabantur; pauperibus educandis una ratio erat bonus Princeps. Erat **DYNASTA INCLYTUS** in  
magna

magna gratia apud SERENISSIMUM SAXONIÆ ELECTOREM, CHRISTIA-  
 NUM II. nec non apud CELSISSIMUM MARCHIONEM BRANDEBURGICUM,  
 CHRISTIANUM, CULMBACENSEM, PRINCIPES omni laude dignissimos, sed &  
 omni majores; ab his igitur cum singulari studio contenderet NOSTER, ut clemen-  
 tia & benignitate suo tam pio instituto supplicias ferrent, factum dubio procul, per  
 inenarrabilem Dei clementiam est, ut facile impetraret, quæ ab UTROQUE ILLU-  
 STRISSIMUS DYNASTA honestissimè expetebat. Atque hinc fiebat, ut cum Ille,  
 tum & Hic singuli in mille florenos, operi laudatissimo benignissimè impendendos,  
 pro suo ineffabili in litteras amore, consentirent. Id enim clementiæ & bonitatis  
 ingenium est, ut, Solis instar, non unis aut suis; sed in universum omnibus profit,  
 iis certè ne desit, qui publicam promotum ire salutem laudabiliter student. Vivebat  
 tunc & rebus adhuc mortalium intererat ILLUSTRISSIMUS HEINRICUS, CO-  
 GNOMINE MEDIUS, proximâ NOSTRO DYNASTÆ cognatione junctus, cui  
 rerum suarum & fortunarum regiminisque sedes Schlaiza illustriserat. Noluit hic,  
 ut erat propensissimò in salutem omnium animò, deesse instituto NOSTRI tam exi-  
 mio, tamque utili; ideoque, & Ipse mille florenos piissima dexterâ suppeditabat. Nem-  
 pe nihil perit, quod in Scholas, quippe quæ, ut Xenophon ille Socraticus verissimè  
 censuit, fontes omnis boni sunt, impenditur & erogatur. Accessere his & operas  
 junxere unanimes, quicunq; in DYNASTIA primùm GERANA, ut ENDII (ordinem  
 sequor, quem subscribendo tunc observarunt) NESSAVII, CREUZII, EICHICHTII,  
 SCHAUROTHII, ETZDORFII, BIENROTHII, WOLFFRAMSDORFII, LISCHWI-  
 ZII, WINCKLÉRI, deinde & in LOBENSTEINENSI, BEIHLWIZII, MACHWIZII,  
 WAZDORFII, DOBENECKII, OBERWEIHMARII, ZEDWIZII, BOSECKII, REI-  
 ZENSTEINII, in SALBURGENSI deniq; KOSPOHII, DRAXDORFII, ALII, quorum  
 jam adducta antè inter alios sunt nomina, eminuere tunc EQVITES GENEROSI.  
 Quorum alii plus, alii minus, pro facultatum suarum modò, lubentes ac prompti con-  
 tulere, non tam ut gratificarentur Dynastæ suo, Vasalli, quam ut gloria divina & pu-  
 blicum litterarum emolumentum succresceret felicius, faciliusque procederet. O e-  
 gregium liberalitatis documentum, in quam unanimi consensu, Deo opus clementer  
 dirigente, conspirarunt omnes! Quod tantò admirandum magis est, quantò promptius  
 in eandem sententiam pedibus quasi iverunt, AMPLISSIMI SENATUS, GERANUS,  
 LOBENSTEINENSIS, SAALBURGENSIS ET THANNENSIS, qui cum civibus  
 ILLUSTRISSIMI DYNASTÆ SUI desiderio ac voluntati voluntatem suam, pro sua  
 in Hunc observantia ac devotione, adscripserunt. Atque, ex his SENATUS GERA-  
 NUS SPECTATISSIMUS, quicquid antea in Scholam suam Trivialem, quam vocant,  
 erogarat, id impendere in novum Gymnasium non refragatus est. Reliqui verò,  
 quos laudavi, nec non GERANI Nostri ex facili conjunctis sententiis expressè, atque,  
 ut testatior esset rerum memoria, literis à se perscriptis, & fide sigillorum munitis, con-  
 senserunt, & constituerunt adeò, ut, quoties aut hîc aut locorum alibi coqueretur  
 cerevisia, de singulis modiis hordei vel polentæ singuli grossi ad sustentandum pu-  
 blicum hoc Patriæ seminarium, numerarentur ab iis, qui jure brasandi seu braxan-  
 di, ut vocari solet, gaudent: qui ideo der Scheffel, oder Schulgroschen dicuntur. A  
 quo nec EQVITES NOBILISSIMI, subditos sibi, immunes voluerunt esse;  
 ut hinc, tanquam inexhaustò fonte, semper redundaret, quod derivari in Viridarium,  
 literis ac pietati præcipuè sacrum, idq; florentissimum, posset. Neque enim sufficit  
 opus tantum constituisse benè; ut conservetur etiam, & ad posteros propagetur ex  
 votò, providè curandum fuit. Sed nunc dicendum de iis est, qui extra ordinem largi  
 ac benefici in Gymnasium fuère. Hîc verò dolendum meritò, non extare omnium,  
 qui munificos se exhibuerunt ab initio foundationis, usque ad annum seculi XVII. me-  
 moriam; cum tamen dubitare nefas sit, quin plures, ut solet in novâ re fieri, liberalita-  
 tis suæ specimina dederint. Ex illis tamen restat vel unius ANDREÆ BOHEMI Norin-  
 bergensis, sed Ulmani in Svevia Mercatoris tunc primarii, & quod caput rei est, ad  
 benefaciendum nobis cupidissimi fama & laus promerita. Qui annò MDCXI. di-  
 plomate publico, consentiente Senatu Urbis Nobilissimo, cavit, ac donatione libera-  
 lissima constituit, ut metalli fodinæ, quas Greslitiæ Bohemorum satis & locupletes &  
 felices habebat, cum redditibus suis, Ruthenèi usibus ac sustentationi manciparentur.  
 Qui etiam tam copiosi tamque uberes ac numerosi dicuntur fuisse, quamdiu frui iis-  
 dem nostro Gymnasio licuit, ut nec ante, nec postea paria fecisse metalla credantur.  
 Id quod dubium non est quin & precibus devotis imputandum sit, quæ illò tempore  
 pro metallorum ubertate & abundantia publicè fiebant. Cæterum post annum secu-  
 li decimum septimum pecuniæ liberales, nulla ratione ad utilitates suas redundante,  
 fuerunt JOHANNES VOLKMARUS, Civis & Mercator Norimbergensis, cui Patria  
 Lobensteinium erat, & alius vetustior longè ejusdem nominis, qui, nisi fallor, Secre-  
 tarius & Consiliarius Ruthenicus fuit, JOHANNES item STOCKELMANNUS, Mer-  
 cator apud nos improlis sed ditissimus: NICOLAUS porro DESCHMIDIUS, Mer-  
 cator, CHRISTOPHORUS EBERHARDUS, Oenopola, CHRISTOPHORUS  
 RICHTERUS, Civis & Institor, BALDUINUS CONRADI, Consul, CHRISTO-  
 PHO-

PHORUS REIBHANDUS, Ædilis & pharmacopola; JOHANNES CHRISTOPHORUS FREINDIUS, in Dicasterio nostro, Secretorum Notarius, JOHANNES MARCI, Coriarius, GEORGIUS FISCHERUS & FRIDERICUS GOTTWALDUS FUNCCIUS, Sartores, ac tandem CHRISTOPHORUS HEYDELIUS, Tinctor. Quorum alii licet plura, alii pauciora contulerint; omnes tamen optimè ac benignissimè egisse censendi sunt. Neq; enim dona respicit Deus, sed donantium animos, & ille quoq; liberalitatis præcordia, ut Gellius loquitur, habere putatur, qui pro facultate, animò tamen candido, vel pauxilla exhibet. Neq; verò inter Viros solos usitata fuit hæc virtus: eam quoq; sexus sequior æmulatus cum laude inter nostros fuit. Itaq; hoc nomine suo quodam jure laudantur M. JOHANNIS VOLCKMARI, quem prædiximus, Vidua, JOHANNIS item STOCKELMANNI uxor, MARGARITA QVANDIA, COR-DULA REIBHANDIA, JUSTINA CONRADIA, CATHARINA BEYERLINIA, quarum adhuc nomina in Rationariis Scholasticis extant. Cum enim Fœminæ æque ac Mares, heredes vitæ æternæ per Christi meritum sint; quidni de liberalitatis gloriâ cum illis certent? Sed verò prætereundi non sunt, qui certa discentibus stipendia, constituerunt. Neq; enim alium benignitati suæ scopum præfixerunt, quam ut bene esset Ruthenéo Illustri & egenis in eo Musis, Magnum itaq; ac immortale nominibus suis circumdedere decus laudatissimi Viri, GEORGIUS JUGELIUS, pannifex quondam, qui CCC, SIMON REISKIUS, Camerarius, qui DC, JOHANNES STOCKELMANNUS semel atq; iterum commemoratus, qui M. & THOMAS deniq; REINE-SIUS, Polyhistor quondam celeberrimus, qui D. florenos testamentis legârunt, & illi quidem certis familiis, si qui ex illis studiis animum ferio adjiciant, hic verò, ut ex sortis usurâ ac fœnore quod reddit, quotannis die, in fastis Thomæ sacro, inter paupes literarum Alumnos distribuatur. Præterea verò & AMPLISSIMUM SENATUM, NOSTRUM non uno stipendio munificum jam pridem fuisse; id vero vel inde patet, quòd & alii Civium Filii, studiis addicti iiq; (ut bonæ mentis plerumq; comes solet esse pauperies) egeni præcipuè in Academiis, numero non pauci nutriuntur & sustentantur. Sed de his forsitan aliàs dicendi locus erit. Cæterum, cum post incendium ferale, quò cum Templo augustò omnia Gymnasii Auditoria & Præceptorum habitacula Annò M DC XXXIX, essent absunta, in id invigilârunt gratiosissimè ILLU-STRISSIMI DOMINI, DN. HEINRICUS II. ac DN. HEINRICUS III, Junioris Lineæ Fratres Germani, ut restaurarentur Musarum ædes ac sedes, ideoq; non ipsi solum, sed & IPSORUM Clementi monitu, Equites Nobilissimi, non parcâ manu contulerunt, quæ restituendis in integrum ædificiis necessaria videbantur, ipse etiam PRÆCELSUS SENIOR, cum beatè in DOMINO obiret annò M DC LXX, amplissimam æris summam pro singulari, quâ in Scholam Provinciam erat, clementiâ, eidem dicavit. Et cum ante quinquennium istud & quod excurrit, denuò in cineres & favillas redactum foret Collegium Illustre, cum oneri ferundo non esset Fiscus Scholasticus, & ad exteras in Germania Respublicas mitterentur, qui stipem colligerent restaurandis locis, quos incendii vis depasta erat crudeliter, factum est, ut hinc & inde subsidia non contemnenda venirent. Quibus meritò & grates nuncupamus debitas &, ut felicissimè floreat, sine fuce exoptamus! Et quid CHRISTIANUM FRIDERICUM BRAGERIUM, Consulem Germanum, nunc laudabiliter ad clavum sedentem, dicam? Qui cum Provisoris Gymnasii partibus non sine summa laude fungatur, in reficiendò Collegiò ipse singulari cum industria ac dexteritate distentus, succurrere Fiscus inopix M. florenis spontè voluit ac benignè. Neque verò dissimulandum deniq; est, quod ex liberalitate CHRISTIANI APPENFELDERI, Primarii Tributorum, vulgò Securarum Susceptoris vigilantissimi & Mercatoris famigerabilis, libros quotannis novos accipimus, ex quibus sancti Theologorû sermones, singulis diebus Dominicis, teneræ juventuti, ut in cognitione Dei ac pietate verâ imbuatur peculiari studio, præleguntur & inculcantur. Et hæc sufficiat commemorasse nunc de plerisque omnibus, qui sive ex Principum, sive Equitum sive Civium & Colonorum numero ac censu suam Gymnasio magnificentiam hætenus probatam ire, clementissimè, benignissimè, laudatissimè voluerunt.

*Quos aget pennâ metuente solvi*

*Fama superstes.*

Cum enim nullum momentum, quin nec temporis punctum ILLORUM beneficio sterile apud nos sit; ideo nec vacuum laude erit, sed, quicquid Illi fecerunt boni, id fama rerum vehet perpetuò, æternitas temporum celebrabit, Parentes liberi, liberi posteris narrando tradent. Sed & Deus largissima omnia repondet, quod pollicitus paterne est, mensurâ. Cæterum hæc præfati sumus ex occasione, quam suppeditat Filius dilectissimus, JOHANNES DOROTHEUS meus, qui cras, Deo clementer indulgente, sub ipsam pomeridianam II, publicè valedicturus, in laudem liberalitatis, Scholis potissimum exhibet, non nihil faciet verborum. De quò meum non est afferre multa, cum nec fieri id à Patre deceat, & Ille notus plerisque omnibus sit. Faxit Deus, ut inoffenso pede in studiorum, pietatis præcipuè ac virtutum studio, decurrat, & in utile gratiæ divinæ organum tandem denique evadat! P. P. Geræ d. XXI. Jun. A. O. R. ∞ lcc XCI.

Y 6  
925



# RECENSUS

SERENISSIMORUM PR  
ILLUSTRISSIMORUM DT  
NOBILISSIMORUM EQ  
CIVIUMQVE HONESTIS  
PLERORUMQVE OM

QVI

## In Illustre' Rut

## MUNIFICI AC LI

HACTENUS FUER

DISSERTATIUNCULA  
EX GRATISSIMO IN C  
ANIMO,  
REPETITUS.

QVA

## DNN. INSPEC

OMNEIS ITEM NOBILISSIMOS, PL  
PLISSIMOS, SPECTATISSIMOS, CL  
AC STUDIORUM FAU

## M. JO. FRIDERIC

Illustris Ruthenèi RE  
*ad audiendum*

*benevole*

FILII SUI,

## JOH. DOROTHEI

### Valedictoria

*submissè, officiosè perquam ac b*

INVITAT.

GERÆ, Liseris Wersheri

